



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno DLXXVII. ad annum DXC.

Parisiis, 1644

Nota Iacobi Sirmondi Societatis Iesv.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15221

ANNO
CHRISTI
587.

primitus præbuisse, & se in aliam partem transtulerunt, modo simili remoueantur. Similiter quidquid antefati reges ecclesiis aut fidelibus suis contulerint, aut adhuc conferre cum iustitia, Deo propitiante, voluerint, stabiliter conferuetur: & quidquid vnicuique fidelium in vtriusque regno per legem & iustitiam redhibetur, nullum ei præiudicium pariat; sed liceat res debitas possidere atque recipere. Et si aliquid cuicumque per interregna sine culpa sublatum est, audientia habita restauretur. Et de eo quod per munificentiam præcedentium regum vnusquisque vsque ad transitum gloriosæ memoriæ domni Clotarii regis possedit, cum securitate possideat. Et quod exinde fidelibus personis ablatum est, de præsentī recipiat. Et quia inter præfatos reges pura & simplex est in Dei nomine concordia illigata, conuenit vt in vtroque regno vtriusque fidelibus, tam pro causis publicis, quam priuatis, quicumque voluerit ambulare, peruium nullis temporibus denegetur. Similiter conuenit, vt nullus alterius leudes nec sollicitet, nec venientes excipiat. Quod si forsitan pro aliqua amissione partem alteram crediderit expetendam, iuxta æqualitatem culpæ excusati reddantur. Hoc etiam huic addi placuit pactioni, vt si qua pars præsentia statuta sub quacumque calliditate, tempore quocumque transcendere, omnia beneficia, tam repromissa, quam in præsentī collata amittat, & illi proficiat qui inuiolabiliter omnia superscripta seruauerit: & sit de sacramentorum obligatione in omnibus absoluta. His itaque omnibus definitis, iurant partes per Dei omnipotentis nomen, & inseparabilem trinitatem, vel diuina omnia, ac tremendum diem iudicii, se omnia quæ superius scripta sunt absque vllō dolo malo, vel fraudis ingenio, inuiolabiliter seruaturos. Facta pactio sub die quarto Kalendas Decembris, anno vicesimo sexto regni domni Gunthramni regis, domni Childeberti vero duodecimo anno.

NOTA IACOBI SIRMONT
SOCIETATIS IESV.

¹ *Conuentus apud Andelaum.*] Vetus nomen retinet opidum in pago Lingonenſi, cuius ſitum indicat Fredegarius: *Anno*, inquit, *XVII. regni Theodorici Lingonas menſe Maio exercitus adunatur: dirigenſque per Andelaum, Naſio caſtro capto, Tullum ciuitatem peruenit.*

Concil. Tom. 13.

N ij